



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XII. De Charitate erga Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

14 Erotem. Eccles. Cap. XII. De Charitate erga Deum.

ceptum negativum non desperandi, obligare semper, & ad semper. Quatenus verò est affirmativum sperandi obligare in tribus casibus. Primò, quando primum adultus intelligit, se creatum esse à Deo pro æterna salute consequenda. Secundò, quando debet aliquem actum facere, in quo Spes est necessaria, ut confiteri, & contritionem agere. Tertio, quando gravis tentatio desperationis urget, à qua liberari aliter non potest, nisi actum spei eliciendo. Abelly d. §. 2. ubi notat, sufficere actum spei implicitæ, & virtualis. Attende Propositionem damnatam, quam retuli supra cap. 3. sub Quæst. 5.

5. Quær. An in peccatis contra Spem detur parvitas materiæ? Resp. Negativè, quia ubi deliberatè quis peccat vel præsumendo, vel desperando, committit semper gravem Dei offensam. Tambur. d. lib. 2. cap. 2. §. 1. num. 5.

6. Quær. Quid sit tentatio Dei? Resp. Est quadam Præsumptio, qua quis vult, experiri de Deo per media incongrua, & aliena ab ejus providentia; & duplex est: Explicita, cum quis vult aliquid agere, vel expectare per miraculum; & Implicita, cum non vult adhibere media ordinaria, absque peculiari Sancti Spiritus instinctu, ad aliquem obtinendum effectum, ut si quis nollet in infirmitate adhibere medicinas: vel monita salubria audire; dicens, se in Deo sperare. Explicita reputatur semper culpa gravis contra spem, seu contra Religionem; & si insit error intellectus, potest etiam esse hæresis. Implicita solet esse tantum culpa venialis. Tolet. lib. 4. cap. 29. num. 7.

7. Quær. An peccet mortaliter infirmus, qui non vult audire Medicos, neque sumere medicinas? Resp. Quòd multi dicunt; & probabilius est, non peccare. DD. apud Gobatum in Quinario tract. 5. cap. 1. num. 36. ob incertitudinem medicinæ, & ignorantiam Medicorum; de quibus Caramuel in Theolog. Fundament. num. 1564.

CAPUT XII.

De Charitate erga Deum.

1. Quær. Quid sit Charitas in Deum? Resp. Esse virtutem supernaturalem, qua Deum super omnia appetitativè diligimus. Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 1. Et dicitur appetitativè, ita ut Deus ex corde magis aestimetur, quàm cætera: etsi aliquando dari possit, ut res aliqua magis intensivè aestimetur; nam esse potest, ut aliquando genitores intensius ament pecuniam, quàm filium; sed si agatur vel de perdendo filio, vel de perdenda pecunia, volunt hanc potius perdere, quia magis appetitativè filium diligunt.

2. Quær. Quibus modis exerceatur hæc virtus Charitatis in Deum? Resp. Ex S. Bernardi, lib. de dilig. Deo, modum diligendi Deum esse, illum diligere sine modo. Porro Sanctus Franciscus Salesius in suo eximio Tractatu Amoris Dei docet plures modos Amoris Dei. Primus est Complacentia, quo delectamur Cel-

itudine Dei, & Excellentia ejus; & aspiramus ad ipsum cum summa animi jucunditate per orationem, meditationem, & contemplationem, ex qua provenit oratio Mystica, & subinde liquefactiones, languores, & vulnera spiritualia, raptus, extasis &c. Secundus est Benevolentia, quo desideramus, Deum ab omnibus honorari, & amari, quia in se est infinite bonus, & perfectus, ac infinite diligibilis. Tertius est Obedientia, quo studiosi reddimur in obediendis ejus mandatis, ac exequendis ejus consiliis, & sanctis inspirationibus. Quartus est Submissio, seu Conformitatis, quo homo christianus submittit suam voluntatem voluntati Divinæ; se conformando ejus dispositioni cum omni moda indifferentia in infirmitatibus, in tribulationibus, in derelictionibus; ut fecit Job, dicendo in omnibus: Sic Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Job. 1. 21.

3. Quær. An hi omnes modi diligendi Deum cadant sub Præcepto? Resp. Rigorose loquendo cadere sub Præcepto solummodò Tertium modum, scilicet Obedientia; quia qui obedit mandatis Dei, adimplet legem charitatis, juxta illud: si diligis me, mandata mea servate. Jo. 14. 15. Et Qui habet præcepta mea, & servat ea, qui diligit me. Jo. 14. 21. Et Plenitudo legis est dilectio. Rom. 13. 10. Tambur. ubi sup. §. 2. n. 3.

4. Quær. Quo tempore obliget Præceptum Charitatis in Deum? Resp. DD. laborare multum in assignandis temporibus, quibus Christianus tenetur elicere actum charitatis in Deum; & solent esse sequentia. Primò, in initio usus orationis. Secundò, in fine vitæ. Tertio, unica saltem vice in tota vita. Quarto, omnibus festivis diebus. Quintò, in Baptismo, quando adulti baptizantur. Sextò, in sumptione Eucharistiæ. Septimò, in Martyrio. Octavo, ubi magnum à Deo recipitur beneficium. Nonò, quando auditur impius blasphemare Deum. Decimò, ubi gravis urget tentatio. Eminent. Card. de Laurea, in 3. lib. Sent. tom. 4. de Charitate disp. 11. art. 1. ubi supradicta omnia tempora examinat, & approbat. Porro Cardenas in Crisi Theologica Dissert. 6. cap. 1. num. 18. dicit, Præceptum Charitatis obligare ad actus dilectionis Dei frequentes: & quia difficile est determinare tempus præcisum hujus obligationis, subdit, quod saltem singulis mensibus eliciendus est actus dilectionis Dei. Sed Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 2. docet, probabilem, & tutissimam esse opinionem, fideles non esse præcisè obligatos ad se convertendum in Deum per específicos actus amoris; sed satis esse, si per observantiam Divinorum Præceptorum se exercent in Præcepto Charitatis, quia, ut dictum est, Plenitudo legis est dilectio. Apostolus ad Rom. 13. 10. Cæterum Alexander Papa VII. die 24. Septembr. 1665. damnavit hanc Propositionem, quæ est la prima. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis. Et Innocentius XI. anno 1679. damnavit has tres sequentes 5. 6. 7. Videlicet: An peccat mortaliter, qui actum dilectionis Dei

Dei semel tantum in vita eliceret; condemnare non audeamus. Item Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinqueennis per se obligare Præceptum Charitatis erga Deum. Item Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possimus. De iisdem damnatis Propositionibus latè agit Cardenas in *Crisi Dissert.* 6.

5. *Quer.* Quot sint peccata contra charitatem Dei? *Resp.* Esse duo. Unum omnium maximum, id est, *Odium Dei*; ad quod aliquando impii descendunt, cogitantes Dei Iustitiam punitivam culparum. Alterum est *Acedia*, videlicet quoddam tædium, & tristitia de bono spirituali, puta per susceptionem Sacramentorum, & alia bona opera; quod opponitur charitati, cuius proprius effectus est gaudium in operibus spiritualibus. Abelly in *Medulla Theol. part. 2. tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 3. ad finem.*

6. *Quer.* An peccet mortaliter contra charitatem, qui cuperet semper vivere in hoc mundo, & remanere in hac vita? *Resp.* Affirmativè, si præferret delicias huius sæculi visioni, & fructu divini. Bonacin. in *prim. Decal. Præcept. disp. 3. q. 4. punct. 1. in fine.* Denegativè, si cuperet in hac vita semper remanere ob timorem Iudicii, & incertitudinem æternæ salutis. Castropal. & Sanch. quos citat, & sequitur Tambur. in *Decal. d. lib. 2. cap. 3. §. 1. num. 3.*

7. *Quer.* An in hac vita homo possit esse certus certitudine fidei, vel Theologica, se habere charitatem Dei, & esse in gratia? *Resp.* Negativè, nisi ex peculiari revelatione; quia ut habetur Eccl. 9. *Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit.* Et Apostolus 1. Cor. 4. de se dicit: *Neque meipsum iudico; nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est,* quæ verba explicat S. Bernar. *Serm. 23. in Cant.* dicens, quod Apostolus intelligebat de puritate suæ conscientie, seu de incertitudine suæ charitatis; & hoc decisum est à Concilio Trid. *sess. 6. cap. 9.* Deus enim id suæ divinæ providentiæ reservat; ne homo, si sciret, se habere charitatem, negligens evadat in bonis operibus; ideòque in hac vita haberi non potest alia certitudo, quam moralis, ut eruditè disputat, & probat novissimè Gonet. in *Clypeo Theologia tom. 4. de Gratia disp. 5. art. 1. & 2. pag. 126. & seqq.* & Collegium Salmanticen. in *Cursu Theolog. tom. 6. tract. 14. de Gratia disp. 9. per totam.*

8. *Quer.* Quæ sint signa moralis certitudinis, quòd homo sit in gratia, & habeat Dei charitatem? *Resp.* S. Bernardus *Ser. 1. & 2. in festo Paschæ super verbis 1. Jo. 5.* Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, ponere tria signa, dicendo: *Testimonia gratiæ sunt hæc tria; In operibus spiritualibus exerceri; lacrymarum fonte sordes peccatorum abluere; & sanguinolento penitentia martyrio pravas affectiones perimere.* S. Thom. 1. 2. *quest. 112. art. 5.* ponit tria signa, nempe delectationem rerum spiritualium; contemptum rerum mundanarum; & conscientiam absque notitia peccati mortalis. Sotus addit aliud signum, nempe, affectum, & aviditatem audiendi verbum Dei, juxta illud Jo.

8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ita Gonet ubi supra pag. 129. Tandem S. Franciscus Salesius in suo *Tractatu Amoris Dei part. 2. lib. 2. cap. 5.* ponit pro signo, si homo talem resolutionem in corde teneat, potius amittendi omnia, quàm Deum scienter offendere; exemplo S. Michaelis, qui exclamavit contra Angelos prævaricantes: *Quis ut Deus?* Et Josephi Patriarchæ, qui ab Hæra provocatus ad libidinem intulit: *Quomodo Deum meum offendam?*

CAPUT XIII.

De Primo Decalogi Præcepto. Unum cole Deum.

1. *Quer.* Quid in hoc Præcepto præcipiatur? *Resp.* Præcipi actus Religionis, quibus Deum optimum maximum colimus, & veneramur; & ad duas præcipuas Virtutes eos reduci, nempe ad *Adorationem*, & *Orationem*. Ulterius præcipi, ut abstineamus à peccatis Religioni oppositis; quæ sunt *Superstitio, Idololatria, Magia, Divinatio, Vana Observantia, Maleficium, Sacrilegium, Blasphemia, & Simonia.*

CAPUT XIV.

De Adoratione.

1. *Quer.* Quid sit Adoratio? *Resp.* Esse Actum creaturæ rationalis, quo significat submissionem, & reverentiam ob excellentiam alicujus; unde Lot adoravit Angelos *Gen. 29.* & Betsabea Salomonem *3. Reg. 11.* id est, submissionem, & reverentiam iisdem exhibuerunt. Porro strictè sumpta adoratio est Actus, quo quis proficitur cognoscere, & colere excellentiam Dei; in quo sensu *Deut. 6.* dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & Matth. 14. Magi procidentes adoraverunt puerum Jesum, & Jo. 19. Cæcus illuminatus procidens adoravit Christum.*

2. *Quer.* Quotplex sit Adoratio? *Resp.* Est Triplex. *Latriæ, Hiperdulie, & Dulie.* Per primam adoratur Deus. Per secundam Deipara Virgo. Per tertiam Sancti. Est tamen sciendum, quòd per Latriam dupliciter adoramus Deum; primò per se, & ratione sui; & sic adoratur Sancta Trinitas, Christus Dominus, & Eucharistia. Secundò per conjunctionem ad Deum; & hoc modo per Latriam adoratur Humanitas Christi, ejus Crux, & alia Instrumenta Dominicæ Passionis; quia licet ex se non mereantur talem adorationem; tamen ut quid unum cum Christo, & relata ad ipsum, eadem adoratione Latriæ adorantur. Similiter Reliquiæ B. Virginis Mariæ adorantur *Hiperdulie*; & Reliquiæ Sanctorum *Dulie* tantum ob relationem respectivè ad Deiparam, & ad ipsos Sanctos. S. Thom. 3. *p. 2. q. 25.* & Tamburin. in *Decal. lib. 2. cap. 4. §. 1. Mastrius in Theolog. Morali disp. 11. num. 18. & seqq.*

3. *Quer.*